

Michael Cobabus Caspar Schwartzkopff

Disputatio Politica De Domino & Servo

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730140253>

Druck Freier  Zugang



Ru phic 11 52

Midall lobatus

Casper Schwarzkopff

DISPUTATIO POLITICA
DE
DOMINO & SERVO

Quam

Favente & annuente Divini Numinis gratia

SUB PRÆSIDIO


Clarissimi nec non Doctissimi

DN. M. MICHAELIS COBABI,
Scholæ Rostochianæ Rectoris Meritissimi, Præceptoris, fautoris, ac hospitis, jugiter venerandi,

Placide ventilationi submittit

CASPARUS Schwarzkopff/
Author,

Anno 1652. die 11. Februarii.



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

DISPUTATIO POLITICA

DOMINIO & SERVITIO

De iure & officio Divini

Magistri

et Praeceptoris

Classis in non Distinguitur

DR. MICHAELIS COBARR

Scholarum Rectoris Regis

Magistri Praeceptoris

Magistri Praeceptoris

Magistri

Magistri Praeceptoris

CASTRUS

Auctor

Anno 1652 die 11 Februarii

ROSTOCKII

Typis Nicolai Kallii Acad. Typogr.



DE

DOMINO & SERVO.



Um sit impossibile, quemlibet adeo esse perspicacem, ut solus suis rebus sufficere queat, non sine necessitate Servitus introducta est; necessitas enim hujus præ cæteris ex illo Philosophi satis constare posse arbitror dum *lib. 1. Polit. cap. 3.* Inquit. Si possent instrumenta ad jussum vel nutum domini suum opus perficere: quemadmodum Dædali aut

Vulcani tripodes, quos inquit Poeta sponte sua Divinum prodidisse sceramentum, si & pectines texerent, & pleetra pulsarent, neq; architecti sanè ministris, neq; domini indigerent Servis; Diffusam enim esse dominorum rem, nec unum pluribus in locis simul versari posse tradit *Arriæus lib. 1. Polit. cap. 4.* ne ergo domestica res per incuriam, cum Reip. detrimento, indies vilescat, de Servo sibi meritò prospicit dominus, cum hujus ministerio melior non deterior ejus reddatur conditio *l. 133. ff. de Reg. Jur. & l. 3. C. de Pactis.* neq; huic obstat *Bod. lib. 1. c. 5. de Rep.* qui sine detrimento Reip. Servos existere posse negat, pluribus stipatus exemplis præprimis quod seditiosi & ad vindictam proclives sint, summa sæpe ab istis orta esse bella, imo & totas Resp. maximo in discrimine constitutas fuisse: Verum enim verò cum nihil sit tam sanctum, quod abusu accedente facile reprehensionem non incurrat, idem erit de servitute judicium faciendum, si enim dominus servum ad indebita imo & inhonesta munera subeunda trahere velit, omneq; debitum officium servo denegare, quod fit, si ei alimenta non præstet; necare enim videtur *l. 4. ff. de agnoscendis & alendis liberis,* aut ægrum deserat *l. sancimus 4. C. de Infantibus exposit. liber. & serv. & l. unic. §. sed sancimus 3. C. de latina libertate tollenda,* aut ad inhonesta eum perducatur officia necessitatem peccandi eis imponat, eosq; ad coitiones sordes nolentes adigat *l. Lenones 6. C. de spectaculis & scenicis & lenonib.* aut moderatam castigationem excedat, *l. 1. §. 2. & l. 2. ff. de his qui sunt sui vel alieni juris,* eosq; ex levissima causa, odio prosequatur, lædat, vulneret, mutilet: Quis dubi-

A 2

tabit

tabitor nobis esse hostes quot sunt servi? Quis non cum *Petrarcha* ex-
clamabit?

O pudor, ô plus quam pudor. Heu hoc tempore surgit.

In dominum Servus, Patroni in colla cruentus.

Liberrus: Vulgare odium. post verbera, semper.

Ægrior ardescit famulus.

Sibi ergo domini non servis imputent, cum non sint incommodo & detrimento ignorent, in regendis ministris, tanquam rei familiaris animatis instrumentis, præcipuam dominorum curam sitam esse, *Plu-
tarch. in vita Crasi mihi p. 478. l. 6.* Quisquis ergo hoc periculum evita-
re voles, arte servos tractare discas, & vix credibile erit, quantum ab illis
commodi trahes, non enim res familiares auctas à servis sed etiam inte-
gras Respub. ab illis conservatas esse tradit *Arniſeus citato loco in fin.* De
Servitute itaq; dicturus, prius ejus ambiguitatem tollo.

TH. I.

Dicuntur autem servi à servando, §. 3. *Instit. de jure personarum*.
Bod. lib. 1. de Rep. c. 5 m. fol. 37. non autem à serviendo ut quidam
volunt, in spectà enim origine, sive sint publici sive pretio acci-
tinomen à servando habent, *Giphanius ad lib. 1. Inst. disp. 2. th. 4.* Vete-
res enim subortis bellis hostes inultos relinquere noluerunt, quapropter
ut sibi consulere, & servorum vitæ parcerent, servarunt illos juxta il-
lud *Horatii lib. 1. Epist. 16.*

Vendere quum possis captivum, occidere noli:

Serviet utiliter. Sine pascat durus, aretq;

semper autem & sine discrimine interficere in humanum imo brutum
videbatur, ut ergo minori afficerentur supplicio, vendiderunt illos *l. 239.*
§. 1. ff. de Verb. signific. & hi à victoribus manu capti dicti sunt mancipia
arg. l. 4. §. 1. ff. de statu hominum.

2. Vox servi, sub qua etiam fœminæ comprehenduntur *l. 40. §. 1. ff.*
de verb. signif. vel in propria vel Analogica significatione accipitur, qua
ratione etiam bruta animalia sub ea complectimur & hoc nomine *Ari-
storeles lib. 1. polit. c. 1.* inquit pauperibus bovem pro servo esse. Proprie
accipitur hæc vox vel strictissime vel minus strictè, latius patet cum
quoslibet ingenuos qui operam suam alteri locarunt, servos appella-
mus, strictissime vero accipitur vox cum illos dicimus servos, in quos
dominium plenum habet dominus, vitæ & necis potestatem, qualis
autem

autem illa fuerit olim, & quomodo hodiè restricta sit, ex subsequenti-
bus clarum erit.

3. Est autem servitus constitutio juris gentium, qua quis domino
alieno contra naturam subicitur §. 2 *Inst. de Jure personarum.*

4. Jure gentium introductam esse servitutum, non tantum ex hi-
storiciis, ut Tacito: Plutarcho, verum etiam ex omnibus ferè politicis
colligi potest, imo & ipse Imperator id confitetur §. 4. *Inst. de libertinis*,
ubi servitutum antiquitus incognitam fuisse, & jure gentium ingenui-
tatem invasisse asserit; hoc tamen non de jure gentium primævo, quod
alias etiam jus Naturale dicitur §. 4. & u. *Inst. de rerum divis. l. 84. §. 1. ff. de
Reg. jur. & introductum esse ipso quo gentes esse cœperunt, absq; consti-
tutione gentium, ut notat Schneidw. ad §. jus autem gentium Instit.
de Jure naturali gent. & civil. de hoc inquam jure Servitus non est in-
troducenda, sed de jure gentium secundario, efflagitantibus humanis ne-
cessitatibus.*

5. Dicitur quod dominio alieno sit subjectus, quamdiu enim quis
in servitute est, manui, & potestati domini est subjectus *in princip. Inst.
de libertin.* & monstrò certè simile esset, servum sine Domino existere,
cum juxta communem Logicorum regulam, relata sint simul natura, &
sublato uno relatorum tollatur quoq; alterum, & dominus dicatur ser-
vientis respectu *Althuf. lib. 1. c. 27. n. 4.*

6. Utrum autem servitus à naturà, sit ambiguum est, & quidem
prima fronte affirmativam tueri videtur *Arist. lib. 1. politic.* ubi alios à
naturà ad serviendum, alios ad imperandum factos esse asserit, in primis
vero *cap. 5.* ubi ait propter corporis robur, & ingenii imbecillitatem
quosdam de victu, & amictu sibi prospicere non posse, æquumvè esse,
ut illi alterius imperio regantur, prudentiores enim in servitute detinere
periculosum est, & hinc *Cic. lib. 2. de Rep.* dicit esse genus aliquod injustæ
servitutis, cum ille sit alterius qui seipsum regere possit, & alterum regat
eui ipsi disciplina opus sit. Huc aliquid facere videtur quod *Bodinus
lib. 5. de Rep. cap. 1.* cœli soliq; qualitatibus ascribit, sæpius nimirum
ingenerari mores, non tam à stirpe generis & seminis, quam ab iis re-
bus, quæ ipsà naturà loci, vitæq; consuetudine suppeditantur. Addo
quod quædam gentes, veluti Muscovita Schlavonica, sub servitutis jugo
facilius contineantur, quam aliæ libertati magis assuetæ, quod quando
Agessilaus de Asia incolis observavit, dicere est solitus, eos bonos esse si

servirent; malos, si libertate fruereutur *Trentler. 1. Vol. Diss. 2. th. 2. l. b.*
 Ad hanc objectionem cum diversimode respondeaturâ *Reinhard. König*
in Theatro politic. part. 1. cap. 1. n. 142. 143. 144. nos isti sententiæ subscri-
 bimus, quæ dicit Aristotelem non loqui ibi de illis servis, qui verè &
 realiter sunt servi quod illi sint naturâ tales, cum natura æquabilis parens
 omnes homines principio liberos genuerit *l. si quod dominus 64. ff. de*
conditione indebiti sed quod naturâ ad serviendum idonei sint, eò quod
 ingenii acumine plane sint destituti, & propter id artes nullas, quibus
 quidem se sustentare possint, addiscere queant, corpore è contra sint ro-
 busto, & ad sustinendos labores aptissimo, & hinc est quod parere alios,
 alios verò imperare jubet; nam sicut Deus homini, anima corpori,
 ratio libidini imperat; ita sapientes, & cordati imbecillioribus, itaq;
 naturâ servum esse intelligatur politice de subjectione *Trentler. dicto l.*
th. 3. l. a. Neque ad rem facit quod loci natura alios ad serviendum quasi
 condemnet; præ cæteris, non enim hic quæritur quinam possint esse
 servi sed qui revera sint.

7. Ex hisce facilè colligi potest, quod servus sit, qui potestati alte-
 rius sc. domini est subjectus, ad cujus nutum & arbitrium vitam suam
 instituere & dirigere cogatur, qua ratione inquit *Philosophus lib. 1. polit.*
c. 3. quod servus sit minister ad actionem, puta quamlibet justam &
 honestam, si enim hæc actio legi divinæ, aut naturali repugnet, magis
 Deo, quàm homini obtemperandum esse sciat servus. Nonnulli ser-
 vum describunt quod sit persona. Qui quidem si strictissimè servitutis
 vocabulum acceptum velint, contra jus agere videntur, cum de jure
 servus personam non habeat, sed pro nullo computetur *l. 32. ff. de Reg.*
jur. Imo mortuis comparetur *l. 209. ff. d. t.* Si autem de servis hujus se-
 culi loquantur, hanc sententiam quilibet facile probabit, cum hodierni
 nostri servi liberi sint dicendi, respectu antiquorum, quibus erat dene-
 gatum proprias res habere easq; ad heredes transmittere, matrimonium
 contrahere, & hæc omnia nostris servis concessa esse nemo dubitabit.

8. In servorum conditione nulla est differentia *§. 1. Inst. de jure*
personarum, & idcirco servitorem nullam profus distinctionem admit-
 tere constat, una enim est & simplex, quoad statum, neque hic vetera-
 nos novitiis præferimus, cum officiorum non originis genere distin-
 guantur *Schneidw. ad §. fin. Inst. de jure person. n. 1.* & hæc officia *Althuf.*
lib. 1. c. 27. passim recenset, Alios esse ordinarios alios extraordinarios,

vica

vicarios, cursores, villicos, muliones, pistores, tonfores, vestiarios, coquos &c. Uti hæc ex comædiis Terentii Planti & aliorum colligi possunt. Ad quos & alios brevitatis gratiâ dubitantem remitto. Hoc tamen notandum est, servos alios fieri, alios nasci: Fiunt vel jure Gentium, vel jure Civili, Jure gentium puta. secundario servi fiunt captivitate; hoc enim constitutum erat ut captus capientis servus efficeretur, cum mitior hæc pœna videbatur ac si captos protenus interfecissent, nec huic obstat, quod perpetua servitus perpetua mors dicatur, dicitur enim mors perpetua conjunctim non divisim accepta, imo & vera morte haud gravius haud acerbius in humanum genus animadverti potest, nihil enim inquit *Philosophus* ipsâ terribilius esse potest, cum jam omnia finita sint nec bonum nec malum superesse videatur. *lib. 3. Ethicor. ad Nic. c. 6. n. 15.* hinc facile concludere licet servitutem ipsa mortem esse humaniorem & mitiorem. Hos servos quidam imperfectos vocare solent, cum eo tantum tempore servi esse credantur, quo sunt sub hostium potestate, quam si evaserint jure postliminii pristinum recuperant statum & fingit hoc jus nunquam, illos in servitute fuisse *Schneidvv. ad S. si ab hostibus Inst. quibus mortis jus patrie potestatis solvitur n. 4, 5. & seq.*

9. Jure civili servi fiunt venundatione, cum nimirum homo major 20. annis ad pretium participandum libertatem suam venundari passus est. *l. 5. §. 1. ff. de statu homin.* notanter autem dicitur si quis major 20. annis nam minori si libertatem suam alii vendiderit non officit *l. 7. §. 1. ff. de liberali causa.* Huic servitutis generi non obstat. *l. 106. ff. de reg. jur. §. 7. Inst. Qui & ex quibus causis manumittere non licet.* Ubi dicitur quod libertas inæstimabilis res sit, hoc enim quasi pœnæ loco impositum est illis, qui libertatem suam venalem proponunt, in quos tanquam abjectissimos, & vilissimos, qui exigui pretii gratiâ se & posteros suos durissimæ servituti tradunt, animadvertitur, & hocce jus Divinum in servitute relinquit *Exod. 21.* & multis aliis locis.

10. Hic quæritur an hæc servitus de jure gentium; an vero de jure civili sit introducta, & quidem ex *l. 5. ff. de statu hominum* evinci videtur servitutem hanc à jure civili esse introductam, sed rectius hanc legem DD. interpretantur omnem nimirum servitutem à jure gentium introductam esse, neq; hanc à jure Civili originem trahere sed ab eo confirmati, & approbati.

II. Hi-

ii. Hisce ita perspectis, quomodo quis servus & in potestate alterius efficiatur, de servorum officii & hodierno serviendi modo aliquid dicendum restat.

12. Præprimis autem à servo requiritur, ut obedientiam præster domino, cum enim hanc & civilis & naturalis ratio à filio exigat, quis servum teneri dubitabit & Paulus Apost. servos fidelissimè hortatur ne etiam immorigeris debitam denegent obedientiam, debitam dico, nam ad turpia perpetranda obligari nemo potest, neq; ad rem facit *l. 4. ff. de R. 1.* ubi dicitur quod velle non credatur qui obsequitur imperio patris vel domini, intelligendum hic enim imperium aliquid justum & legi naturæ aut Divinæ minimè contrarium, imò si servus Dno. obediens aliquid delictum admiserit plectendus est *l. 20. ff. de obligat. & act. Hippolitus Bonacossa in tr. de servis vel fam. quest. 61. n. 1. & 2.* quod etiam locum habet, si servus delictum committens jam manumissus sit, *l. 14. ff. de Obligat. & act.* noxa enim caput sequitur, quapropter si dominus particeps sit delicti cum servo plectendus *Bonacoss. d. loc. quest. 12. n. 1.* satius ergo sit servo præfenti morti succumbere quam deestanda hujusmodi servitia præstare, egregium ipsis exemplum præbuit Josephus, qui carceris squalore detineri, & mortem exspectare maluit, quam cum domini sui uxore rem habere.

13. Præter obedientiam operas quoq; domino debet, cum per hoc serviat, ut omne quod acquirit, acquirat domino, nec quicquam interest, utrum sibi vel conservo, vel impersonaliter stipuletur omnia enim domino acquirit *§. 1. Inst. de stip. servor. & l. 1. §. 3. l. 15. ff. d. r.* à domino enim jus stipulandi habet, *d. r. Inst. in princip.* hujusq; voce loqui videtur neq; obstat huic, quod servus factum, ut ire vel agere possit per alterius fundum sibi stipuletur cum hoc nihilominus in domini sui emolumentum vergat.

14. Per omnia tamen servus domino fidelis existat, sita enim est salus domini sub custodia servorum *D. Hippolit. Bonacossa de serv. vel fam. in proem.* quare etiam ut supra dictum tanquam scopum sibi præpositum domini commodum, habere, & ad istum in omnibus suis actionibus collimare debent *Bonacoss. d. l. Quest. 68. n. 1.* præprimis caveat ne ab aliis corrumpatur, ut vel sit negligens, aut remissus in peragendis domini operibus, furto aliquid domino subtrahat, chirographa infringat laceret, creditori reddat &c. de quibus vid: *r. r. ff. de servo corrupto.*
nec

nec inultos d. t. hujusmodi corruptores relinquit; sed actionem concedit, etiam contra illos, qui malum servum deteriore fecerunt l. 1. §. 4. d. t. neq; error excusat, quod servum corrumpens liberum esse credebat, cum majus admittat delictum l. 5. §. 1. d. t. quod in tantum verum est, ut si persuaserit servo, ut dominum contemneret, corrupisse enim animum ejus videtur l. 15. d. t. Hoc malum dum præcavere studuit Cato Maj. servum nisi à se vel uxore missum, cum aliis rem habere aut alterius ædes ingredi passus est *Plutarch. in ejus vita.* & hoc modo omne damnum, omnes insidias, à se facillimè dimovere se posse arbitratus est.

15. Ultimo ab illis honor & reverentia exigitur, sancta enim illis semper sit persona domini *Husan. in tr. de serv. & hom. prop. quest. 4. n. 4.* & turpe imo dedecorum videatur servo, adventanti domino non assurgere, oportet illum capite operiri, ut si quid curatum velit, sibi imponatur imo & expressum hujus rei mandatum habent, *Malach. 1. vers. 6. 1. Tim. 6. v. 1. & 2.* ut nimirum dominos omni honore dignos de & putent: Accedat hisce justus timor, ne servus pro arbitrio facienda fugiat, fugienda faciat, hoc enim cum dominis noxium sit, & civilia & Divina jura non permittant, adeo ut nec votum Deo facere servo licitum fuerit sine consensu domini *Num. 30. vers. 11, 12. & seq.*

16. Fuisse etiam olim poenæ servos passim colligere licet; ex eo enim, quod capite vel ad bestias, vel ad metallum, aut gladiū damnabantur, poenæ servi fiebant *l. si quis 6 §. 6. ff. de injust. rupt. & irrito fact. testam. §. 1. Inst. de cap. deminut.* hoc tamen tanquam ex legum severitate introductum corrigit *Nov 22. c. 3.* nec quemquam ex bene natis impofterum poenæ servum effici concedit, & licet in nonnullis locis propter delicta aut debita, duriter certis operibus adstringantur non tamen illorum status, qui jam ante liber est, in servilem mutatur: talis locus, in quo hujusmodi homines propter varia scelera etiam graviora perpetuis laboribus exercentur, reperitur *Hafniæ, vocatur der Holm/* qui enim ibi detinentur, pro delictorum atrocitate, compedibus & catenis adeo custodiuntur, ut illam custodiam haud effugere queant, tenui, ut decet, cibo aluntur. Sic in Italia, Gallia & nonnullis aliis locis, delinquentes milites, ad triremes damnantur *Sie werden auff die Galeen banniert/* & quidem pro delicti gravitate, alii ad 10, 40, 50. alii etiam ad 101. annos damnantur *sic tenore juris Lubecensis,* Judici permittitur ut debitorem, qui solvendo non est, creditori tradat, & creditori electio relinquatur, utrum debi-

B

debi-

debitorem ad carcerem damnari, an verò sibi adjudicari velit. *art. 1. tit. 3. de his qui sunt sui vel alieni juris.* Wann einer sein Gut aufftragen vnd bonis cediren wil/ von Schulden die Ihm mit rechte abgemahnet worden/ So mag der Kläger vnd Gläubiger sich des bedencken / biß zu dem negstem Gerichte / ob er sich an dem Gut halten / oder ob er die Person zu eigen annehmen wil & sequenter, wird er ihnen also gerichtlich übergeben/ sol er ihn speissen als das Gesinde / vnd verwahren wie er am besten kan/ auch wol anlegen wenn er wil / doch das ihm an seiner Gesundheit kein Schaden geschehe/ Er sol seinem Herrn seine Arbeit thun/ etc. Hæc tamen cum odiosa sint, non extenduntur ad sexum imbecillio rem, in cuius gratiam, & favorem multa contra communes regulas sunt commenta *l. regula est 9. ff. de jur. & facti ignorant.* quapropter etiam Jus Lub. pergit. Hiermit aber ist verboten Frauenspersonen den creditoren an die hand zu geben/ die nicht bezahlet können / doch mag der creditor zu allen zeiten wenn er sie betrifft Ihr das oberste Kleid abnehmen biß sie bezahlet/ etc.

17. Ex his itaq; constare posse arbitror quamam & qualis pristina servitus fuerit, hoc enim notum est, jus vitæ necisvè dominos in servos habuisse, adeo ut propter crystallinum vitrum ad piscinam murenam, fractum Vedius pollio servum internecione multaverit uti ex Dione refert *Arniseus lib. 1. polit. cap. 4.* vel vix ab ejus potestate ereptum esse, ut idem refert ex *Seneca lib. 3. de ira c. 40.* Imo & atrocissima mortis genera propter servos excogitata esse, testatur *Lipsius in tr. de Crucis supplicio*, in liberos enim hac nim: crucis pœna nunquã, nisi scelestissimos esse animadversum asserit & *Bonacossa in tr. de Servis vel fam. quæst. 125.* illos comburi, furcisq; suspendi tradit, & ut multa alia crudelitatis exempla, præteream, Cuius constare arbitror servorum conditionem sapius deteriorem extitisse quàm brutorû, quibus aliàs comparantur *l. 2. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* & hinc civiliter mortui erant, jus nullum habebant, nec judicis, arbitri, executoris aut tutoris munus subire valebant, nec testes existere poterant, nisi in defectum probationis aut proprio facto sinimirum torturæ subijci deberent; in summa civiliter pro nullis habebantur, *l. quod attinet 32. ff. de reg. jur.*

18. Hanc itaq; in humanam hominum tractationem, ut invidiam, quotquot melioris notæ fuerunt, minuendam esse, arbitrati sunt, nec tantum refugia certa contra intolerabilem dominorum sævitiã, illis concesserunt; rempla enim, & Altaria sacrarunt, imo & statuas principum,

pum, à quibus servum abripere nemini integrum fuit *Bod. de Rep. lib. 1. c. 5.* imo si illorum nimia videbatur erga subjectos sævitia, cogebantur servum bonis conditionibus vendere & pretium accipere §. 2. *Inst. de his qui sunt sui vel alieni juris.* Verum etiam manumissionis beneficium, introduxerunt, & cum manumissi ad huc iu triplici erant differentia, & illorum qui minimam & mediam libertatem assecuti erant, ut Latino- rum & dedititiorum adhuc deterior videbantur conditio, emendatum hoc est per *Novellam 78. c. 2. §. 1.* ita ut omnes manumissi ingenuitatem tanquàm hoc modo nati essent consequerentur. Accessit huc quod Domini postmodum manumissionem pro religiosa quadam re coluerint, & per hoc beatitudinem posse consequi arbitrati sint, cum servi, ut liber- tem consequerentur, fidei Christianæ se addixerint *Bod. lib. 1. c. 5. de Rep.* hocq; modo servitus paulatim expiravit, ut vix vestigia antiquæ supersint, neq; hodie nisi in ipso prælio nemo captivorum occidi potest: deditum enim hominem occidere crudelissimu est, & ab humanitate, quàm homo homini debet, abhorret *Schneidvv. ad tit. Inst. de jure personarum*, nisi forte capti adhuc obstent, nam hoc præsentì tempore observatur, ut illi qui se submittere nolunt die tein *Quartier begeren* occidantur, idq; jure; multa enim accidere possunt, ut captus postmodum capientis potestati eximatur, non autem illi qui se submitunt, hostium servi fiunt, *Husan. d. loc. c. 1. n. 34.* sed vel fidelitatis juramentum præstant, & militum numero habentur, eorumq; à quibus capti sunt privilegiis utuntur, quod plerumq; fit, si dominus pristinus illos redimere nolit. Vel etiam certo pretio a victoris manu se liberant, quòd aliàs *lytron*, Barbari *Ransonem* vocant. Aliud verò obtinet, si ab immanissimis Turcis quidam bello capiantur: hi enim servi hostium fiunt cum pari modo Christiani in crudelem & Deo ini- micam hanc gentem animadvertant *Arniseus lib. 1. polit. c. 4. m. p. 133.*

19. Etsi constare quidem ex jam dictis arbitror, pristinam illam servitutem inter Christianos sublatam esse; nihilo secius tamen homi- nes adhuc proprios possident Christiani, præprimis autem hujus generis homines in Polonia, Litvania & Russia reperiuntur, & à Polonis odio so vocabulo *Chlopi* appellantur, dividunturq; in *Cmetones* & *Hortulanos*, inq; hos Dominum vitæ & necis potestatem habere refert. *Cromer. lib. 1. descript. Polon. sub cap. de hominum ordinib. m. p. 112. & 113.* hi autem servi dicendi non sunt, respectu pristinae servitutis, cum propria possideant bona, & juxta *Arnisei lib. 1. polit. c. 4.* sententiam illorum conditio melior

melior ferè sit, quam olim latinorum fuerit, cum non quaslibet & perpetuas operas præstent, verum & dominum propter certas causas repudiare possint, neq; jam, quod olim Nobilibus proficiscentibus permiffum erat, ut prædia illorum spoliarent, sumptus exinde itineri necessarios educerent, licet, cum illud per constitutionem Casimiri I. sublatum jam sit *Arniseus d. l.*

20. In Germania autem lenior illorum est conditio, quos possidemus, & novo vocabulo proprios homines *Leibeigene* oder *3: Altechlichen bier sten gefessene* vocamus, quia & hi verè servi non sunt *Reinhard. Koning in theatr. polit. part. 1. c. 1. n. 148.* neq; obstat huic *Schneidvv. ad S. fin. de jure person. num. 6.* qui vocem priorum hominum strictissime accipit, adeo ut etiam pristinis servis accommodari queat, aliàs hæc vox etiam famulos subse complectitur, si largiter usurpetur *Bonacossa d. t. quæst. 1.* horum autem qui in Germania reperiuntur quidam sunt melioris, quidam verò deterioris conditionis, pro locorum & officiorum diversitate, deterioris enim conditionis illos esse, qui in Westphalia, quàm qui hic in Megapoli reperiuntur, refert *Reinh. Koning. d. l. n. 149. & seq.* ratione autem officiorum melioris conditionis sunt illi, quibus domini tantum agri concesserunt, ut equos, boves & hujusmodi pecora alere queant, in dominorum, & sui ipsius usum dicuntur. *Anspanner/Hüffner/Hausleute vnd Pflugfröner* / illi autem qui tantum agri & pecoris non habent, & manibus pedibusve dominis inserviunt, deterioris sunt conditionis & dicuntur *Kärner/Rosfassen/Handfröner* *Althuf. lib. 1. c. 28. n. 15. Treuil. vol. 1. diss. 2. th. 4.* dicti ita à veteri verbo *Fron* / quod sacrum significat *Husan. d. l. quæst. 4. n. 53.* Fidem enim, tanquam rem sacram, dum recipiuntur, dominis præstant, & data fides violari non debet *Pf. 15. vers. 4.* quare etiam in ejus testimonium plerumq; addi solet, *dextra 2. Reg. 10. vers. 15.* nonnunquam etiam juramentum præstatur, cum per juramentum quis Deum tanquam peractæ reitestem invocat, eumq; ad vindictam nili omnia servaverit provocat, hocq; præcipuè ab obscuris, & minus illustribus personis, de quorum fide in universum nobis non constat, exigi solet: hinc etiam servi in nonnullis locis jurare coguntur *Husan, quæst. 2. n. 3.* quod tamen non ubiq; servatur, *id. quæst. 4. n. 36. & seq.*

21. Hi autem non solum domini personam semper venerabilem & religiosam habere *l. 9. ff. de Obs. parent. & patron. præstand.* verum etiam

etiam certos labores, pro dominorum, quam habent, tutela sustinere debent: onera autem ista diversa sunt, quidam enim per 3. aut 4. dies domini opus faciunt, & cæteris diebus res proprias curant: quidam vero alia sustinent onera; quare & cum certi hic nil quicquam constitutum sit, pacta, quæ dant legem contractibus *l. 1. §. 6. ff. depositi vel contra.* inspicienda erunt, & prout initio inter illos convenerit, ut id præstetur, curet iudex. Paciscuntur autem nonnulli ut rustici trium, alii, quod *we*; quatuor, pauci, ut quinque; dierum operas præstant, nonnulli autem paciscuntur, ut annuos aliquot nummos *Silberjns.* exsolvant. *Trent. vol., disp. 2. sh. 4. l. b.* quibus accedit, ut quotannis certam frumenti portionem. *Pacht Korn* certam item lini cum gallo gallinaceo *GlachsPacht vnd Rauchhun* exsolvant, præstant item aliquot vehe quotannis, ad reficiendas nobilium ædes *zu Bausubren der Ritterstirn* & quæ ex hoc genere plura pactis comprehenduntur.

22. Hic autem non inutiliter quæri potest, an à domino ad operas extraordinarias præstandas cogi possint? Et quidem pro affirmativa facere videtur illud, quod vocantem dominum sequi cogantur, eique suppetias ferre contra adversarios ubicunque opus fuerit *Althuf. lib. 1. c. 28. n. 15.* nec humanitatis, & fidelitatis ratio permittit, ut dominum in adversis derelinquat servus, cum innatus animis affectus aliud suadeat *Husan. q. 4. n. 25.* & hinc est quod nonnulli servum ad nocturnas operas obstrictum esse asserunt, quod etiam verum est, & admitti debet, si summa id efflagitet necessitas, quæ legem non habere dicitur *Husan. c. 1. n. 19.* qua urgente & instante omnes cessant immunitates, omnia privilegia *Althuf. lib. 2. c. 3. n. 73.* Sic autem talis necessitas, ut vel constanti terrorem injicere possit, cujus generis sunt, vicini hostis metus, aut si deflagratio prædii à nefario quodam metuenda sit, & si quæ plura capitalia damna, alicui imminere possunt, hocq; casu verum est, quod servus dominum sequi teneatur cum ipsius servi salus non minus quam domini hic vertatur: secus vero est si servum ad alia domestica & minus necessaria servitia sine intermissione contra pacta dominus evocare conetur, non enim nimis sunt extendenda & amplianda servitia; sed intra suos limites continenda, imo si quæ contra pacta præstantur vi metive extorta intelliguntur *Bonarof. d. l. quest. 38. n. 1.* Caveant itaq; domini aliquam novationem aut violentiam eis inferre *l. 23. §. caveant autem 1. C. de agric. censit. & colon.* Quisquis ergo plus à Domino ad labores trahi-

tur, quam antea consueverat, adeat iudicem, facinus comprobet, & in-
jungi domino debet, ne contra pacta quicquam petat *l. i. c. in quibus caus.*
colon. censit dominos accusare possint. Imo si damnum illatum sit refarciri il-
lud debet per *d. l.* Adde quod fidem firangenti non sit servanda fides,
promissa enim intelligitur sub conditione, si ab altera quoq; parte serve-
tur, & qui non facit quod debet, non recipit quod oportet *Althus. lib. i.*
c. 64. n. 10. hinc fieri poterit, ut si servus nimis duriter tractetur, ab impo-
sito jugo medianre iudicis sententia facile resiliat, nam & reip. expedit
nequis re sua male utatur §. *sed hoc tempore 2. Inst. de his qui sunt sui vel*
al. jur.

23. His ita præmissis, facile ea, quæ ad dominum spectant, percipi
poterunt. Dicitur autem Dominus à dominando, quod in subjectos im-
perium habet, eisq; dominetur; alii à verbo domo, quod est *zshuten/*
dictum asserunt, quia familiam, ne sit morosa & inobediens domat, alii au-
tem qui domui illum præesse observarunt ab ea denominari dicunt, quæ
tamen sententiæ cum sine insigni quadam contentione, ad priorem il-
lam reduci facile queant, temere non sunt reprobandæ.

24. Ultimur autem voce domini, vel latè vel strictè, latè hanc vocem
usurpamus vel planè improprie, cum quemlibet virum honestum in
quotidiana conversatione dominum vocitamus, magis autem proprie
ille dicitur dominus, qui eminens aliquod imperium in subditos habet,
& olim hæc vox non adeo vulgata erat, quam est hodie. Reges enim do-
minos dictos fuisse constat, quod tamen à Regibus ut odiosum post-
modum rejectum, *Schnob. lib. 2. Polit. c. 26.* patris enim illi titulum affe-
ctarunt. Hodie autem strictè dicuntur domini, qui in servos & totam
familiam jus ac potestatem habent: hæc potestas quanta olim fuerit ex
præcedentibus facile clarum erit; vendere enim & occidere servum per-
mittebatur, neq; hoc tantum domino in servos sed etiam patri in liberos
concessum erat, vendere enim sine ulla dubitatione illos poterat, *Schnob.*
lib. i. Polit. c. 8. & impune auferebat, si quem liberorum occidisset, *Bod.*
lib. i. Polit. cap. 4. hæc itaq; potestas cum hocce tanquam clementiori se-
culo restricta sit prætereunda hic est, & de ea quæ in usu adhuc est pau-
cula subjienda veniunt.

25. Est autem dominatio jus Imperandi, jubendi domino compe-
rens, cui jus alium regendum defendendumq; subjecit *Althus. lib. i.*
c. 27. n. 4.

26. Dicitur

26. Dicitur jus imperandi & jubendi, hoc jus, uti sapius monti licet sit restrictum, sublatum tamen non est; modo imperium illud pactis conforme sit, nihil enim humane fidei magis congruum est, quam ea, quæ placuerunt servare *l. i. ff. de pactis*, si enim imperium illud pacta excedat, merito iudex succurrit læso, neq; Dominus pactis in servi præjudicium quicquam addere aut detrahere potest, in favorem autem ejus si quid adjungat, aut demat, licitum est. Quapropter si ab initio inter illos convenerit, ut servus annuam pensionem, nullas vero operas præstet, ad serviendum & laborandum cogere ipsum nequit. Si vero ab initio paciscantur, ut operas servus præstet, ad pecuniam solvendam, si volet, servum dimittere poterit *Husan. quest. 4. n. 76. & 77.* ratio hujus est, quod de jure suo quilibet remittere possit. Ut autem dominus servo aliquid jussisse videatur, non semper viva vox domini requiritur, sed sufficit quælibet voluntatis declaratio, imo si servo de voluntate domini constet, aut ea declaretur per nuncium, epistolam aut alio modo, jussisse dominus videtur, quod verum est, si fieri à servo quid videat, & non prohibeat, etiam, si ratum habeat, rati habitio illa retrahitur & jussui æquiparatur *l. ult. C. ad Sctum Macedonian*; idem judicium faciendum est, si annulo suo postmodum obsignaverit, aut si subscripserit *Althus lib. 1. c. 97. n. 32.* His itaq; omnibus modis servo mandatum aliquid dicitur, & si remissus aut negligens fuerit, à domino puniri castigatione quadam modica potest. *Bonacoss. in tr. de serv. & fam. q. 94. n. 1. & 177. n. 1. l. unic. emendatione ser.* cum hoc præceptori in discipulum liceat *l. 5. §. fin. ff. ad l. Aquil.* & marito in uxorem sit concessum; iniquum enim esset si dominus ob levissimam causam judicem deberet adire, cum nec modicum prætor curet, caveat tamen dominus, ne ira corruptus, arma, quibus facile damnum inferre possit, arripiat, sed vel alapam infringat, vel funiculo castiget, è quibus vulnerandi animus non dijudicatur *Bonacoss. quest. 236. n. 1.* medium ergo quod modis poterit dominus servet, ne nimis leniter tractando superbiendi ansam illis præbeat, aut nimis asperè excipiendo, familiares inimicos sibi comparet *Schonb. lib. 1. polit. c. 9. Bod. lib. 1. polit. c. 5.* & hinc fideliter monet, *Bonacossa*, ut omni opera hanc pestem dimovere coneris, seq; horum dominorum tristissimos nonnunquam vidisse exitus testatur *quest. 117. n. 2.*

27. Hoc jus jubendi imperandi imò & ipsa modica castigatio domino

mino in servos competit, non extraneo, adeoque si extraneus hoc jure sibi uti voluerit servumque alienum suis rebus perficiendis adhibere, illumque retinendi animo occultrare vel excipere, duas auri libras exsolvat domino, cujus agros transfuga cultore vacuaverit: ita ut eundem cum omni peculio suo & agnatione restituat arg. *l. unic. C. de Colon. Tharcensis*, si itaque soli domino hoc jus reservatum est, exinde descriptio domini facile elici poterit, quod nimirum sit persona, servis imperans in eosque dominium exercens.

28. Summa autem à dominis requiritur prudentia, ad regendum eum, quem jus illorum dominio subjecit, & optimam instituat disciplinam, nec ut ante monitum nimis sit sævus in illum, qui naturaliter homo est & pro statre habendus quapropter optime Paulus Ap. Monet, nos quoque dominum in cœlis habere, ulturum nostra scelera, hinc nec impossibilia miseris imponenda, cum illorum nulla sit obligatio *l. 185. ff. de reg. jur.* nec ad turpia efficienda cogi debent, quod Scythis familiare olim fuit, visu enim orbatos servos, fistulas genialibus equarum impositas, inflare coegerunt, quò copiosius lac efflueret *Schonb. lib. 1. poliit. c. 9.* sed debitis & honestis laboribus illos exerceant & in officio contineant, ne nihil agendo male agere discant *Scracid. c. 33. vers. 28.* non enim sine causa Apelles servum graphicè depingens humeros ei patulos cum cervinis pedibus attribuit, propter laborum, quos sustinere debet capacitatem & celeritatem. Si ergo illum quem natura ad serviendum aptum fecit, segniter torpere & inutiliter delitescere patiaris, quid aliud, quam contemptorem & hostem tibi comparabis? quid enim otium & cibus alienus juxta illud *Terentii* valeat incredibile est, quapropter ut hanc vicinam hominis mortem & sepulturam. *Sonec. in Epist.* dimoveas, digna res, est cui tu nervum intendas tuum.

29. Hic itaque quaeritur, utrum dominus servum laborantem alere debeat? Et quidem pro affirmativa facere videtur *l. 18. §. 2. ff. commodati* dicitur quod cibarium impensæ, naturali ratione, ad eum pertineant, qui utendum aliquem accepisset, cui consentit *Bonacossa*: qui æquum censet, ut quis illum alat, cujus opera alitur, *quest. 79. n. 3* Resp. autem hoc locum habuisse in servis antiquis, qui nihil proprii possederunt, omniaque domino acquisiverunt: illis enim merito præstita sunt alimenta, cum sine cibo naturaliter homo vivere non possit, & quidem certam cuilibet portionem fuisse attributam, ex illo *Terentiano* colligere

gere licet, ubi servus conqueritur, sibi id universum abreptum esse, quod unciatim, suum defraudans genium, compererat miser habet & idem locum in hodiernis nostris ancillis & famulis, qui non solum alii sed & vestiri debent. *Bonacossa d. l. Minime* vero ad colonos illud restringatur, quotidiana enim reclamatur experientia: nec nostri rustici, dum domini opus faciunt, à dominis aluntur, propter id enim certos agros illis attribuerunt, ex quorum fructibus, ad victum & amictum necessaria deducere possunt; quare etiam hujusmodi, qui suis opibus sibi de cibo prospicere possunt, ab alimentorum petitione remouentur: *Bonacoss. quest. 138. n. 3.* secus verò est, si aliter inter illos pactum sit, aut servus ad inopiam relapsus sit; hoc enim casu dubium non est, quin egentem servum tunc alere teneatur, cum idem à patrono libertus exigat *junct. l. 18. cum l. 21. ff. de Operis libertorum*, ut plurimum autem ad ægestatem relapso servo, bovem, equum, frumentum, & quæ ex hoc genere plura sunt, concedunt, ut arare, serereq; possit, & imposterum sibi ipsi de victu prospicere.

30. Hoc jus regendi & imperandi, defendendi quoq; jus suble habet. Est autem defensio concessa cuilibet, qui ea indiget, imo & brutis competit *l. 1. §. 11. ff. si quadrup. paup. sec. dicatur* adeo ut quodlibet animal pro ratione virium se tueatur juxta illud.

*Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem
Verum etiam instanti, lesa repugnat ovis.*

Et hinc *Schneidvv. ad tit. Inst. de jure nat. gent. & civil. tradit*, quod defensio quoad formam & essentiam, sit juris naturalis primævi, quatenus autem sit limitata & restricta, ut nimirum defendens modum servet, ut adhibito moderamine inculpatæ tutelæ se defendat, quod eatenus sit juris gentium: si itaq; defensio concessa est cuilibet, cujus interest, sequitur dominum à servi defensione, sive ea literis sive pro necessitate armis fiat, non posse protelari: propterea enim edunt ipsi operas & præstationes debitas conferunt, ut vicissim prædia sua pacatè tenere queant, & ab eo protegantur & defendantur contra vim & injuriam *Husan in tr. de hominib. prop. c. 7. n. 91.* & nisi infidelitatis notam, incurrere velint, quilibet sibi subiectum pro virili defendat *Bonacoss. quest. 67. n. 1.* Caveant tamen domini, ne sint nimium creduli, cum hæc gens sit agrestis, & morosa, facileq; ad jurgia ansam det, postea quam causam suam omnibus modis adornet, meliorem fingat, mentiatur, &

C


inde

indelebilem, hac ratione amarulentiam inter dominos sæpe exerat:
huius rei exemplum præbet difficile illud bellum inter Lubenses
& Megapolitanos gestum, uti hæc historia pluribus videri potest. Ex
lib. 6. Chronic: David: Chitrei sub anno 1505. & seq.

31. Ultimo dicendum erit, quâ ratione dominus hanc servitutem
amittere possit; tollitur autem pro varietate locorum aliter atq; aliter,
in nonnullis locis, in quibus melior est illorum conditio: ut in Thuringia
renunciatio servum à potestate domini liberat, modo præstent tantum
pecoris, quantum acceperunt, quod teste Husano vocant *Eisern Diehe*/
quasi nunquam intermoriatur propter substitutionem. Hic autem,
in Megapoli nemo liberatur hoc modo, sed vel gratis à domino remit-
titur: vel, si dominus volet, certa argenti summa ab ejus potestate se
liberare servus poterit De jure tamen Lubecensi in civitatem receptus
liberatur, si nimirum probare possit se per annum & diem hoc jure
potitum esse. *Kan der Bürger durch Rahmänner oder gefessene
Bürger wahrmachen / daß er über Jahr vnd Tag Bürger gewesen/
vnd in der Zeit vnbesprochen geblieben / so bleibet er der anspruch
ledig vnd frey tit. de his qui sunt sui vel alien. jur. §. 3.* Si autem aufugerit,
non liberabitur: sed eodem modo quo olim reddebantur servi, resti-
tuendus erit *Husan. c. 2. n. 39.* tumq; à domino in vinculis aut compe-
dibus asservari poterit, donec vel vitæ emendationem polliceatur,
vel plane per prædictos modos, aut si sunt plures,
ex hoc genere, liberetur.

SOLI DEO GLORIA.





Ad Respondentem.

DE Domino & servo, veri, monumenta
Sophorum.
Scribere, quid statuant, est decus haud
tenue.

Sic CASPARE docent Musæ, patresvè Lycæi.
Hanc igitur Sophiæ currere perge viam.

M. Michael Cobabus.

Schol: Rostoch:
Rector.



Quem fura Servum, quemq; dicant liberum
Laboriosis excutis dum paginis,
Astræ Te Prudentia Servum stupet,
Si servis illi, totus imperas Tibi.

Dominicus Garg.

Desidiæ

Desidiæ non palma datur; neq; tempora turpi
Languida mollicie laurea læta premit.
Excellentis animi quin Spiritus arripit illam,
Qualis ad alta tuum nomen, Amicæ, rapit.
Hinc meritò Tibi palma datur, tua tempora,
cujus
Jam documenta paras, laurea læta premet.

*Hiscæ Pereximio Dn. RESPONDENTI,
Amico & consalino suo suavis;
applaudis*

Johannes Nessenius
Gustroviensis.



26. Dicitur jus imperandi & jubere licet sit restrictum, sublatum tamen non pactis conforme sit, nihil enim humanam quam ea, quae placuerunt servare *l. i. ff. de pacta excedat*, merito iudex succurrit lae praesudicium quicquam addere aut detraxerit si quid adjungat, aut demat, licitum illos convenerit, ut servus annuam penset, ad serviendum & laborandum co- initio pacifcantur, ut operas servus praevoleat, servum dimittere poterit *Hufan.* est, quod de jure suo quilibet remittere servo aliquid jussisse videatur, non semel sed sufficit quaelibet voluntatis declaratio domini constet, aut ea declaretur per modo, jussisse dominus videtur, quod videat, & non prohibeat, etiam, si ratum trahitur & jussui aequiparatur *l. ult. C. de iudicium faciendum est*, si annulo suo subscripserit *Althus lib. i. c. 97. n. 32.* si mandatum aliquid dicitur, & si remissum puniri castigatione quadam modica potest *fam. q. 94. n. i. & 177. n. i. l. uni.* praecceptorum in discipulum liceat *l. s. S. de uxorem sit concessum*; iniquum enim de causa iudicem deberet adire, cum nec tamen dominus, ne ira corruptus, arma possit, arripiat, sed vel aliam infringat vulnerandi animus non dijudicatur *Bo.* ergo quod modis poterit dominus servo superbiendi ansam illis praebet, aut nites inimicos sibi comparet *Schonb. lib. & hinc fideliter monet, Bonacossa*, ut opere vere coneris, seq; horum dominorum testis exitus testatur *qaest. 117. n. 2.*

27. Hoc jus jubendi imperandi im-

perium illud congruum est, imperium illud pactis in servi- ut favorem autem si ab initio inter- vero operas praevoleat. Si vero ab- um solvendam, si & 77. ratio hujus autem dominus imini requiritur, vo de voluntate istolam aut alio- eri a servo quid ab initio illa retro- cedonian; idem signaverit, aut si- bus modis servo fuerit, a domino in *tr. de serv. & ser.* cum hoc vil. & marito in- ob levissimam or curet, caveat lamam inferre astiger, e quibus 6. n. i. medium niter tractando piendo, familia- lib. i. *polir. c. s.* epestem di mo- unquam vidisse ea castigatio do- mino




Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.